

Johann Fecht Beatus Christoph Friesenegger


**De Antichristo Theses Theologicae, Mart. Becani, Iesuitae Manuali Controv. lib. I.
cap. VI. oppositae**

Durlaci: Müller, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787862185>

Druck Freier  Zugang





In Tomo hoc XXXVII. Sunt

1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. 1, 19. 20. 21.
4. D. Damhaueri Aethera Sancta sui vindex.
5. Jo. Faust protri. de motione divina ad Act. XVII, 28.
6. D. Georij Heberlini fascic. hymna. Cant. I, 13.
7. Andreas Vivinius ad Psalmum II.
8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
9. Christiani Metz Manipulus thesauri Praxiani sub B.
Lugemamo propositarum.
10. D. Martin Gejeri conformitas Iudaeo Passiva in
Ditina de Deo Angelic & Homine.
11. Christoph Laur. Scheelfuhrer p. tri. de Christo mo.
12. Jo. Andr. Quenstedt de Persecutione Venelord.
13. Gabrielis Wedderkopff de Atheismo Sconianoru.
14. Michael Foerisch de Legum naturalium Origine.
15. — De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conve-
niunt de. S.
16. & Jo. Fecht de Iudice Controversiarum.
16. a. — De Trinitate.
16. v. — De Anti Christo.
17. — De Jurisdictione Saeculari.
18. — De Lunatione.
19. — De Communione sub utroque

20. D. Go. Ficht de Mijsa.
 21. —. De sacramentis.
 21. —. De vocatione Ministrorum Ecclesie.
 22. —. De Celibatu eorundem.
 23. —. De Peccato.
 24. Hoornbeef de Theologia Praxi.
 25. —. Pars posterior.
 26. —. de Tentatione Dei.
 27. —. De Autoritate N. Test.
 28. —. De Pietate.
 29. —. De Devotione.
 30. —. De Meditatione sacra.
 31 } —. De Studio verbi divini.
 32 } —.
 33. —. De sensu divina gratia.
 34. —. De Fiducia in Deo.
 35. —. De Gaudio spirituali.
 36. —. De Zelo.
 37. —. De Christo.
 38. —. De Ascensione Christi.
 39. —. De gloria Christi celesti.
 40. —. De Spiritu S.
 41 } —. De Providentia.
 42 }

42 } Flo
 43 }
 44 }
 44 }
 45 }
 46 }
 47 }
 48 }
 49 }
 50 }
 51 }
 52 }
 53 }
 54 }
 55 }
 56 }
 57 }
 58 }
 59 }
 60 }
 61 }
 62 }
 63 }
 64 }

42. } Floornbeek de Predestinationes.
 43. }
 44. }
 44.β. — . De Sabbatho.
 45. — . De Ministerii acceptiones.
 46. — . De examine Ministrorum.
 47. β. — . De eorum officio.
 48.)
 49.)
 50. } — . De Celestium Vita.
 51.)
 52.)
 53. — . De Foedere Celestium.
 54. — . De Mundo.
 55. — . Ad Matt. XXIII, 37.
 56. — . — . pl, 20. 21.
 57. Jos. Cocceji de divinitate Script.
 58. } — . de Perfectione Script.
 59. }
 60. } — . de Foedere gratie et Vet. ac N.T.
 61. }
 62. } — . de eo quod Icy est.
 63. }
 64. — . de statu Humiliationis Christi.

65. Jo. Coaeji de Regeneratione et Resurrectione.
66. —. De Oblatione Christi.
67. Wetstenij. De unione Personali in Christo Forma,
Tunc Efficitur. etc.
68. — Lucia Geruleni de Forma unione Personali
in Christo.
69. —. De Promissione Dei.
70. —. De Peccato in Spiritum S.
71. Wetstenij de Praedest. Bonorum et malorum.
72. Guc et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

1612.

42
44
43
20
1
27
62
28
30

DE
ANTICHRISTO

THESES THEOLOGICAE,

MART. BECANI, JESUITÆ

Manuali Controv. lib. I. cap. VI. oppositæ;

Quas ex publicis Praelectionibus

VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi, Excellentissimique

DOMINI

JOANNIS FECHTII,

SS. THEOL. LIC. SEREN. PRINC. MARCH. BAD.

CONSIL. ECCLES. ET CONC. AUL. ILLUSTR.

GYMNASII PROFESS. PUBL.

Patroni & Præceptoris sui, immortalis veneratione & cultu suscipiendi,

excerptis, atque in SOLENNI congressu

Eodem PRÆSIDE

defendendas proposuit

BEATUS CHRISTOPH. FRIESENEGGERUS,

Pforzheimensis.

Ad d. 19. Novembr. horis pomeridianis MDC LXXXIV.



DURLACI, J. J. Martini Mulleri.

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis & Spectatissimis,

DOMINIS

JO. HEINRICO OBRECHTO, Ser. Princ. nostri
Confil. Camer.

JO. JACOBO LANGENBACHIO, Præfecto
Castelenfi.

MICHAELI SEUZIO, Eid. Ser. Pr. à curâ rei
Saltuariæ.

Dominis & Patronis meis,

*Ut sanguinis mihi vinculo proximè
junctis, ita ob affectum in me singularem &
maxima beneficia atatem venerandis,*

Disputationem præsentem

Testandæ observantiæ & decla-
rando grato animo

D. D. D.

Beatus Christophorus Frieseneggerus.



DE ANTICHRISTO THESES.

I.



Antichristi vocem utrinque constat, vel generatim accipi, pro quolibet hoste Christi, qui vel personam ejus vel doctrinam impugnat. I. Joh. II, 18. vel *ἐναντίας*, pro excellenti & primario Christi adversario, quem ante mundi finem venturum esse, primis statim Christianis revelatum fuit. Cujus spiritum, erroribus & impietate mentes hominum, ad recipiendum illum magnum, paulatim disponentem, jam suo tempore in hæreticis, ceu Antichristi parariis, operantem extitisse, testatur Apostolus, I. Joh. IV, 3. & II. Thess. II, 7. Quæ loca tamen non probant, Antichristum, principem illum, jam venisse; idque nostris nonnisi per calumniam à *Becano* adscribitur.

II.

Antichristum verò magnum venisse, experientia sensusque testatur. Videmus enim eundem, throno insidentem. Audimus loquentem verba, qualiâ Antichristi fore prædictum fuit, & agentem ea, quæ Antichristi sunt, manibus pedibusque palpatua.

III.

Si, quo tempore venerit, quærat, respondendum est: in iis, quæ paulatim fiunt, quorumque moles, non per vim apertam, sed in *invocia*, ut Apostolus loquitur, clam & per cunctilos, extruitur, e. g. quo die, quo anno monarcha cœperit esse Cæsar? quo die, quo anno Tyrannus cœperit esse Nero? quale quid & Antichristianismus est, temporis, quo quidlibet peractum fuerit, quibusque gradibus ad id fastigium pervenerit, articulos nec posse nec debere semper nominari. Cumque in Antichristo, ut ex infra dicendis patebit, duo impietatis quasi summa capita emineant, arrogatum in Ecclesia imperium, itemque prætentum in regna mundi dominium, ad quæstionem

A 2

propo-

propositam simpliciter dicimus: quoad prius conceptum esse AntiChristum seculo quarto, paucis annis à Constantini Magni obitu elapsis, quando Pontifices, editis subinde spiritus AntiChristiani speciminibus, affectare dominatum universalem in Ecclesiam cœperunt, natum vero esse, adeoque plenè venisse seculo septimo & quidem sub ejus initium, post Gregorium Magnum, cum Bonifacius tertius à Phocâ, crudelissimo Parricida, titulum Oecumenici Pontificis, & ut princeps atque caput omnium Ecclesiarum haberetur, obtinuit; quoad posterius vero conceptum esse seculo octavo, cum secularia dominia ad se rapere & ditionibus acquisitis potestate politica præesse Ecclesiæ præsul occœpit, natum vero esse, adeoque plene venisse seculo undecimo, cum Gregorius VII. dictavit, subesse sibi omnia orbis imperia, regna, principatus & quicquid habere mortales possunt, se auferre & dare posse, cuicumque vellet.

IV.

Quibus suppositis cadunt quæstiunculæ, quibus, ceu præjudiciis quibusdam, sine longa refutatione, Lutheranorum assertum: AntiChristum venisse, refelli posse, vanè jaçtat *Becanus*: *Unde constat AntiChristum venisse? Quo tempore venerit? Et quis inter Pontifices cœperit esse AntiChristus? Ubi intolerabile mendacium est, si stylo Becani loquamur, cum Centuriarioribus ad fingit Jesuita, quod Gregorium Magnum, hominem pessimum, primi AntiChristi nomine infamant: caduntque objectæ nostris, magno quidem, ad decipiendos simpliciores, sed irritò conatu, dissensionibus.*

V.

Romanæ Ecclesiæ sententiam duabus conclusionibus complectitur *Becanus*: Prima est: *AntiChristus propriè dictus nondum venit in hunc mundum.* Secunda: *Pontifex Romanus non est AntiChristus.* Quibus nostram sententiam è diametro oppositam esse nemo ignorat.

VI.

Ut, quid de argumentis, quibus priorem conclusionem fulcit *Becanus*, sentiendum sit, appareat, duo notanda sunt. Primò, sedem hujus materiæ esse locum Pauli illustrem, II. Thess. II. quippe cujus verba ad eò plana, ad eò perspicua sunt, ut sine involucris nudam sensus veritatem citra ullum negotium legenti repræsentent. Quamquam verò hinc neque Danielis vaticinium, neque Johannis revelationem, quæ de AntiChristo & *Becanus* exponit, prorsus excludamus; quia tamen uterque locus nec adversarii Christi disertam, ut Paulinus, mentionem facit, & uterque AntiChristum symbolicè tantum in imaginibus & sub typis atque figuris obscure adumbrat, præcipuum noscendi AntiChristum fundamentum in hoc loco, qui utique

hinc

sine illis facilem habet intellectum, & sine quo illi intelligi non possunt, futura esse ultro intelligitur.

VII.

Deinde in memoriam nobis revocanda Irenai regula est, ab ipsis scriptoribus Pontificiis ubique laudata: *omnis prophetia, priusquam habeat efficaciam, enigmata & ambiguitas sunt hominibus. Quum autem venerit tempus & evenit, quod prophetatum est, tum prophetia habent liquidam & rectam expositionem.* Quæ si vera est, nemo poterit minus regulæ vicem, ad quam vaticiniorum sensus exigatur, sustinere, quam veteres Ecclesiæ doctores, ad quos tamen *Becanus*, complementi luce carentes atque ideo nulla in re magis, quam in hac, ad lapsum & errorem proclives, provocat, eoque ipso oculos ad veritatem, ipso eventu, quo veteres sine culpâ suâ destituebantur, patefactam, malitiosè occludit.

VIII.

Itaque his observatis viscadit utriusque argumenti, à *Becano* producti. *AntiChristus non veniet, nisi destructo Romanorum imperio. Hoc autem deletum nondum est. Ergo. Item: AntiChristus non veniet, nisi præcesserint duo testes, magnis miraculis inlyti. At nec illi, nec hac, hæcenus extiterunt. Ergo. Utrumque argumentum ex symbolico libro, & juxta ipsius Danielis effatum, ad extremos usq; dies signato, procedit, & qua ex Paulo robur ei adsciscitur, meris conjecturis, fatente per voculam: *fortasse & probabile est*, *Becano*, innititur. Utrumque nonnisi patrum se auctoritate munit, qui nec ferre testimonium hic possunt, & inter sese ubique dissentiunt. Ne de re ipsa, brevitate pagellarum constricti, quicquam dicamus.*

IX.

Jam ut ad quæstionem secundam veniamus, Pontificem Romanum AntiChristum esse, immoto argumento probatur. Cuicumque enim ea exasse & collectim conveniunt, quæ de AntiChristo à Paulo prædicta sunt, eum AntiChristum esse periande necesse est, ac eum Christum esse oportet, cui ea competunt, quibus Christum insignem fore, Prophetæ olim testati fuerunt. Jam vero ea omnia singulaque, quibus AntiChristum depinxit Paulus, in Pontificem Romanum examullim & ad unguem quadrant. Ergo dubitandum non est, eundem esse AntiChristum.

X.

Ut seriem Apostolici textus ordine legamus; Primò, *venit atque revelata est apostasia*, magna atque insignis, à puritate religionis Christianæ, secundum regulam verbi Divini exactæ. Quod non nisi in rem præsentem eundo doceri potest. Si defectio hic innuitur imperii Romani, quod

eum nonnullis contendit *Becanus*, quid cogit, universalem intelligi? Cum nec discessio à fide omnimoda, si eam respiciat Apostolus, intelligatur & Romanum Imperium à pristina majestate mirum quantum defecerit, ut est in confesso.

XI.

Secundò, Pontifex Romanus *homo est peccati & filius perditionis* *ἀνὴρ ἐστὶν ἁμαρτίας καὶ υἱὸς ἀπολείας*; qui & ipse peccat & alios peccare facit, interprete *Chrysofomo*. Non quod omnes ex æquo mali sint atque improbi, sed quod ex genio status plures in Pontificatu reperiantur tales, quam in ullo alio regno. Libertatem adimit conjugii & ad vagas libidines impellit. Sæpe à juramento subditos absolvit & ad infesta adversus principes arma concitat. Liberos ad vota transeuntes à parentum obedientia eximit. Quæ divinis & naturalibus legibus adversantur. Ne quid dicamus de sceleribus & flagitiis, quæ in plurimis Pontificibus ipsimet Romani Scriptores agnoscunt atque deplorant.

XII.

Tertio, *sedet ille in templo DEI, ut DEUS, extollit se supra omne id, quod dicitur DEUS, aut numen, præ se ferens, se esse DEUM*. Non quod se disertè clamet esse DEUM, (quanquam nec hoc nomen, etiam citra Poëticam assentationem, refugiat) id enim insulsum & ridiculum, nec mysterium ullum esset, sed quod ea sub specie pietatis, nullo pari admisso, sibi arroget, quæ solius DEI sunt & sine sacrilegio & blasphemia creaturæ nulli tribui possunt. Qualia sunt: affectare absolutum, quale nec Moses, nec alius quisquam unquam gessit, in Ecclesiam imperium; (id enim est: *sedere in templo DEI*) venditare se pro Ecclesiæ sponso & capite; (id enim solius Christi axioma est) fidei decreta suo arbitrato sancire & sancita mutare; ab omni errore immunitatem atque *ἀνεπισημότητα* sibi adscribere; auctoritatem Scripturæ sanctæ à sua auctoritate, sensumque ejus verum & indubium à suo unius judicio ultimò suspendere; posse sciscere, quæ universum obligent populum Christianum, Judæos, Christianos, Gentiles, à quibus secedere nefas fuerit, æterna morte piandum; facta uni & soli DEO juramenta irrita esse jubere; matrimonia, quæ DEO jungente separare nemo debebat, non ut hominem, sed ut DEUM dissolvere; de jure supra jus & contra jus & extra jus dispensare; subesse ei omnem humanam creaturam, Imperatores, Reges, Principes, maximos, minimos, non indirectè tantum, sed directè, naturaliter & temporaliter, quibus dare pro lubitu & auferre regna possit, declarare, dicere, definire & pronunciare, esse omnino de necessitate salutis; tantam sibi tamque infinitam & illimita-

& illimitatam in universum orbem adferere potentiam, quanta est ipsius Christi, quia indiscretus fuisset Dominus, nisi talem post se reliquisset vicarium, qui hæc omnia posset; jactare se causam causarum, à nullo homine, nedum à Concilio, judicandam; denique in Angelos ipsos sumere imperium, iisque, quicquid velit, mandare. Quæ singula totidem verbis vel de seipsis dictavere Pontifices, vel de se ab aliis dici libentissime audiverunt. Id verò si non est sese DEUM perfecta Divinitatis usurpatione ostendere, quomodo id aliter fieri queat, nullus unquam mortalium ullo ingenio adsequetur.

XIII.

Quartò, non revelatum fuit, Pontificem esse AntiChristum, priusquam, qui eundem detinebat, è medio esset sublatus. Per viros recentiores & veteres & recentiores consensu quodam Romanum Imperatorem, gentilem præcipuè, majestate utentem, eaque AntiChristi molimina, quo minus in actum erumperent, reprimentem, rectè intelligunt. Quamprimum itaque Imperatores Romæ partim sua sponte discesserunt, partim barbarorum potentia excussi sunt, AntiChristus, qui antea præsentiore Cæsaris potentia cohibebatur, paulatim magis magisque sese, per actiones, AntiChristo proprias, prodere (id enim est *revelare*, I. Tim. III, 16.) caputerigere, vacantem, ut *Chrysost.* loquitur, imperii principatum invadere, & tandem Imperatorem, tanquam bubulcum, in sylvas relegare cœpit, verbis usus ab *Aventino* descriptis: *Roma nostra sedes est. Imperator est Aquis in Ardenna, quæ est Sylva Gallia. Imperator quod habet, totum habet à nobis.*

XIV.

Quintò, occisus est Romanus Pontifex Spiritu oris DEI. Qui in testibus veritatis subinde emicuit & his postremis temporibus magnâ vi AntiChristum aggressus, ore calamoque, Divinitus è Scriptura tincto, è folio dejectum enecavit, donec, quicquid ejus superest, glorioso Christi adventu prorsus è medio auferatur.

XV.

Denique, adventus Pontificis Romani fit secundum efficaciam Satanae in omni virtute & signis & miraculis mendacibus. Quippe Romani Pontifices miraculorum gloriam Ecclesiæ suæ, suo unice spiritu animata & recte, propriam esse ubique clamitant, quibus tamen mirabiliariis illud *augustini* recte ingemines: *miracula vestra vel figmenta sunt mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.*

XVI.

Sequitur ergo, Pontificem Rom. esse AntiChristum. Quam conclusi-

conclusionem non infirmat argumentorum Becanianorum trias: *AntiChristus non regnabit nisi tribus annis cum dimidio. AntiChristus à Judæis pro Messia agnosceatur. AntiChristus faciet ignem de cælo descendere. At nullum horum in Pontificem competit. Ergo is non est AntiChristus.* Manet enim his non obstantibus, Pontificem esse eum AntiChristum, qui à Paulo describitur, cum illi ea accuratè conveniant, quæ à Paulo speciatim AntiChristo tribuuntur.

XVII.

Præterea annos, dies & menses, quos supponit, à Daniele & Johanne AntiChristo tributos, non annos & dies vulgares, sed dies annorum & mensium annuos, denotare, juxta illud Ezechielis cap. IV. 6. *diem pro anno dedi tibi*, conditio regni AntiChristiani, in sacris descripti, & magnitudo rerum, non vi & armis, sed mysterio, seductione, fictisque miraculis gerendarum convincit, cum tantum tamque stupendum regnum iis mediis, neque plantari tantillo temporis spatio, neque ad fastigium deduci possit.

XVIII.

Ex locis vero, Joh. V, 43. & II. Theff. II, 23. AntiChristum à Judæis pro Messia agnitum iri, nullis potest fidiculis extorqueri, cum Ecclesiæ historia & Theudas & Barcochebas & Moses Cretenses & alios nominet, in quibus vaticinium istud plenissime fuit impletum; & à genere ad speciem argumentetur, qui concludit: credunt mendacio; ergo AntiChristo.


XIX.


Denique quid cogit, ut: *ignem de cælo elicere*, proprie intelligamus, cum & in cæteris eo capite perpetuis ludat figuris Johannes? Possitque hujus miraculi nominatio *συνεδοξικῶς* stupenda quævis miracula notare; sicut juxta plerosque, etiam in Romana Ecclesia, Scripturæ interpretes, verba Servatoris: *Si fidem habueritis, sicut granum Sinapi, dicetis monti huic: transgreditor illic, & transgredietur*, Matth. XVII, 20. patrando alia quævis, eaque incredibilia, miracula impleta sunt, etsi nemo Apostolorum montes transposuisse legatur.


XX.


Concludimus igitur: & *AntiChristum 'jam venisse & Papam' esse AntiChristum.*


Tantum.

















JUSTIFICATIONE.

57

astico vel Pontifici competat jus remitten-
potestativum? A. utrumque contra *Pontific.*
ionis *materia*, vel id quod nobis donatur in *De Materia.*
quo Justii denominamur, sit ipsa Justitia
butum Dei essentialis? N. contra *Osiandrum.*
Justificationis *materia*, adeoque justificet in
oluto & ratione sui ipsius, ut ipse credendi
o justitiæ; non quidem quod talis sit in se,
ulis talis censeatur per acceptilationem: An
stificationis *instrumentalis*, cui tribuatur hic
tùm *organico, relativo & objectivo*, quatenus
prehendit & applicat subjecto? N. prius:
cin. & Remonstrantes.

ustificet tùm *dispositivè & meritorie*; tùm *ma-*
tivè ut justitia inchoata? N. contra *Pontific.*
ria Justificationis sit Obedientia novæ vitæ,
istitia per gratuitam acceptilationem à Deo
ontra *Socin. Anabapt. Remonstr. Coincidit*: An
Deo consistimus, in imitatione Christi sita
gelian.

i Satisfactio & Obedientia, quâ Justitiæ
s juri nostro loco satisfecit, sit causa materia-
An verò Beneficium hoc, tùm Remissionis
donationis vitæ æternæ, nobis contingat ex
ricordiâ & gratiâ, citra satisfactionem? A.
ontra *Socinian.*

isfactio Christi *penalis*, quâ, pro peccatis no-
tione, comminationi illius satisfecit, sit Ju-
materia, sive perfecta nostra ad salutem ju-
stisfactio ipsius *obedientialis*, quâ, tùm in reli-
pensione suâ, Legis mandata perfectissimè
omni Legis rigori nostro loco satisfecit, sit
e quidem, sed *naturâ* tamen, ab alterâ distin-
Justificationis nostræ? *Aut*, an hæc Obe-
cant, *activa* sit istius Beneficii causa tantùm
H